



1994
A

1037







DE
ΑΝΘΡΩΠΟΘΥCΙΑ
GRÆCORUM ATQUE GENTILIUM
IN UNIVERSUM
PRÆSIDE

JOH. ERICO OSTERMANNO

GRÆCAR. LITERARUM P.P.

publicè disputabit

a. d. 10. Decembr.

cl̄o Ibc̄ LVI.

M. JOH. FRIDERICUS SCULTETUS.

WITTEBERGÆ

Exscripsit JOHANNES RÖHNERUS Academ. Typographus 1656.

22

Röhnerus Ost. 1656
400



94 A 1037

AV

+





CAP. I.

Saturni nomen. Ejusdem cultus. à quibus experit. Testimonia Veterum. Vossl consensus. Exempla varia. Tertulliani locus. Saturni statua. Ejus apud Romanos sacra. Mos retegendi capita unde? Celtarum Saturnus. Saturnalia. Origo ἀνθρωποθυσίας. Ἀμίλιας. Patriarchæ altarium auctores. penes eos vera religio. Causæ Ἀνθρωποθυσίας. VII. conclavia in Molochi simulacro fide Hebræorum. Vossius Seldenum explicat. VII. Mithræ portæ. Geminus Molochi cultus. כמרי. ἀνθρωπομαντεία. Vallis filiorum Hinnom. Tophet. Tympanorum in sacris usus.

Aνθρωποθυσίας referenti mihi, unde nisi à Saturno ordiar? gurgite illo & heluone non unius hominis, tumulo filiorū, uti Tertull. vocat, quem omnes aræ, omnia sacra olim loquebantur. Hunc Macrobi. l. i. c. 8. & 10. & Cicero, quod saturretur annis, dictum putant. Contra ea Scaliger, Saturni nomen Thuscum esse, contendit. Qui sciunt syriacè, inquit, id omnes concedent, quod nihil aliud Syris, ac latentem significet. Ita & חסר Hebræis latere est, unde Terra, quæ veteri linguâ dicta est Saturnia, Latium vocabatur, ut ex Marone & alijs discimus. Præterea tanta Saturni nominis capacitas est, ut nescio, quæ aliorum omnium nomina jam tum non præcipiat. Vossius per eundem Adamum, Noën, Abraham, & adhuc alios fortè capit, uti prolixis illis de Idololatriâ libris videre licet. Habet Diodorus lib. VI. Saturn-

l. i. c. 8. & 10. Saturnal. l. II. de natura Deorum. in conject. p. 30. & 175.

lib. I. p. 139. lib. VI. c. 18.



l. 1. præpar.
Evangel. c. IV.
l. I. c. VII.

de legib.
apoph. im-
per. de Ge-
lone.
apol. c. 9. ubi
Pamel. in
Aug. VII. de
Civ. cap. 19.
De DIS Syris
p. 181.
lib. 4. contra
Jul.
lib. 4. de
præp. Evangel.
c. VII.
lib. 1. hist.
Phenic.
lib. IV.
lib. XX.
p. 330. de Idol.

num Cœli filium, natu majorem, Regem factum, homines ex
agresti, incultaq; vitâ ad mores, legesq; & humaniorem
cultum deauxisse. & imperasse maximè ijs, quæ ad Hesperum
pertinent, locis, & lib. IV. c. 5. in Sicilia, Lybia, & Italia, & in
Occiduis oris. quod & Euseb. l. 1. præpar. Evangel. innuit.
At verò idem hic Auctor de Phœnicum Theologiâ a-
gens, majus adhuc colligit, & Saturnum facit Phœnicia Re-
gem, Astarthes fratrem, quam pulchram & virginem, varijs
modis allectam sibi adjunxerit, atq; ex eâ multam subolem su-
stulerit. Unde vel ex hoc fidem nostram firmare possu-
mus, Saturni memoriam & simulacrum apud Syros &
Phœnices, & familiare, & summo olim honore celebra-
tum esse. Quin imò sub Molocho nomine cultum Pœ-
nis, Saturnum, Hebræorum magistri, & tota eruditorum
natio asserit. Ita Plato, Plutarchus, Tertull. Diodorus
Siculus apud Vivem. Infantes sive pueri, inquit Seldenus,
atrisq; erant hostia communes, & nefanda illa Sacra è Syria
in Europam videntur migrasse, & in Africam. Porro Sacra
hæc Pœnorum à Syris istis manasse confirmat tibiarum, & tym-
panorum apud hos solemnis usus, quem Plutarchus & Eusebius
dæmoniacas describit. Lamenta puerorum & parentum inter
mactandum ex audiri, piaculum erat. Unde licet gentiles
non tantùm Saturno, sed & Jovi, Dianæ, Baccho, Marti,
Palladi, Argaulidi, Diomedæ humano sanguine litarint,
uti Cyrillus & Euseb. ex Diodoro, Dionysius Halicarnass.
Manethone, & alijs id edocet. tamen Phœnices, sive Ca-
nanæos (quibus accolæ Judæi) & ab eis prognatos Car-
thaginenses propriè Saturno immolasse homines ami-
cissimos, & pueros suos, maximè in gravi aliquâ calami-
tate, docet Euseb. Philo, Curtius, & Diodorus. Nec
Vos-

Vosius quidem abnuit sub Molochi nomine cultum
 Saturnum Pœnis & Phœnicibus. Ubi tamen per Satur-
 num non Regem Italum, aut Jovis Cretici patrem, nec
 Adamum aut Noachum, sed nec Saturni stellam; verum
 aliud Numen capias. Nam neq; nos Saturnum strictè ex
 vulgari Romanorum & Græcorum usu æstimamus, at ex
 more Orientis Baalem & Molochum, i. e. Saturnum,
 naturam magis cœlestem, maximeq; Solarem volumus.
 Nam iste Orientis Saturnus Moloch & Baal, longè latius
 patuere, quàm illorum Saturnus Romanis ac Græcis.
 Baal & Bel esse Saturnum, Saturnum autem Solem do-
 cet nos Servius in 1. Ænæid. Ipsum audiamus. *Assyrios con-
 stat Saturnum (quem eundem & Solem dicunt) Juno-
 nemq; coluisse. quæ nomina etiam apud Afros postea culta sunt.
 Unde & lingua Punicâ Bal Deus dicitur. Apud Assyrios Bel
 quâdam sacrorum ratione & Saturnus & Sol vocatur. Ita
 Damascius in Isidori vitâ apud Photium: ὁμοίως καὶ
 Σύροι τὸν Κρόνον ἢ καὶ Βῆλ καὶ Βολάθην ἐπωνομάζουσιν. Phœnices
 & Syri Saturnum vocant El, Bel, & Bolathen. Ut ergo Phœ-
 nices ac Syri Moloch: Ita & Pœni Saturno, qui idem ac
 Moloch, Sol nempè cum cœlo & inferiori naturâ, victi-
 mas humanas macltarunt. Porphyrius de abstinentiâ
 animal. Φοίνικες ἐν ταῖς μεγάλας συμφοραῖς ἢ πολέμων, ἢ
 αὐχμῶν, ἢ λοιμῶν ἐθύοντο τῶν φιλοτάτων τινα ὀπίσθηφιζόντες Κρό-
 νῳ. Phœnices magnis in cladibus vel bellorum, vel æstus, vel pe-
 stilentia sacrificabant cbarissimorum quempiam Saturno, com-
 munibus ad hoc suffragijs addictum. Subijcit dehinc, ple-
 nam exemplorum esse historiam Phœniciam à Sancho-
 niathone scriptam, è lingua autem Phœnicia è Philone By-
 bliensi græcè redditam. Ita & Eusebius oratione in Con-
 stantini Cesaris laudem. Κρόνῳ γὰρ Φοίνικες καὶ ἑκάστον ἔτος
 ἔθυον*

ἑδύον τὰ ἀγαπῆτὰ καὶ μονογενῆ τῶν τέκνων. *Phoenices Saturno quot annis sacrificabant dilectissimos, ac filios unicos.* D. Athan. oratione adversus Græcos. Φοίνικες, inquit, καὶ Κρήτας τὸν Κρόνον ἐν ταῖς τεκνοθυσίαις ἐδρῆσκουον. Et quibus nulli liberi, ij à pauperibus emebant, ut maclarent, quod à Plutarcho docemur. Ad Tiberij usq; tempora durasse impium illum morem in Africà scribit Tertull. apol. c. IX. *Infantes penes Affricam Saturno immolabantur palam, usq; ad proconsulatum Tiberij.* Ubi verò alij proconsulatum, Scal. in epist. ad Casaub. proconsulem legit. Nam, quum Tiberius, nec unquam pedem in Africam tulerit, multò minus proconsul ibi factus, eruditum illum Afrum hæc omnia latuisse suspicemur? ac jam tum in foedere, quod icerunt Carthaginenses & Gelo Tyrannus Syracusanus cautum erat, ὅτι καὶ τὰ τέκνα παύσσονται τῷ Κρόνω κατὰ θύοντες. quod refert Plutarchus περὶ τῶν ἑξ ἑσθίας πτωχόμενων. Recitat Vives ex Diodoro Siculo statuam æneam Saturni Africanis fuisse magnitudine enormi, cujus manus in terram desinebant, adeò contortæ & compositæ, ut qui pueri ei admoverentur, in igneam foveam inciderent. Romæ omnibus alijs Dijs, Saturno & Honore exceptis, aperto capite sacrificabatur. Cælius Rhodiginus refert. *At qui Saturno rem divinam obibant, capita retegebant, dicebanturq; lucem facere.* Nam Saturno Veritati oculi nesciæ, præsidenti, & honori, qui non nisi illustris esse debet, Vetustas nihil opertum sivit. Plut. in probl. Inde natus mos apud Romanos, ut qui dictos jam Deos sequerentur, senes nempè & aliquo officio ac honore defunctos, nudo capite, & detractò pileo exciperent. Hanc consuetudinem & Germani, Itali, Galli ab
eodem

l. XX. c. 12.

eodem populo adhuc frequentant. Tandem & Celtis cultum Saturnum testis est Dionys. halic. lib. 1. antiquit. Rom. & Cic. in III. de natura Deorum. Saturnum valgo maximè ad Occidentem colunt. Quo nomine v. ijs venerit, non satis liquet. Alij Sater, vel Satar dictum ex eo colligunt, quum septimus dierum nobis Saterdag. Athæc appellatio rectius ex Latino Saturni nomine fluit. Antiquissimum Saturnaliorum festum servorum immunitati sacrum erat. Nam per id tempus servitio soluti, velut usurariam quandam libertatem habuere, & festivè se gesserunt. Athenæus scribit: *ταῖς τῶν Κεργίων ἡμέραις ἕθος ἔστι Ῥωμαίων παρσὶν ἑστῆν τὰς οἰκέτας αὐτὰς τὰς τῶν οἰκετῶν ἀναδεχομένους λειτουργίας*, Saturnaliorum diebus, moris est Romanis præbere servis convivium, sicut ipsi servorum officia subeant. Velut ergò *Ἀνθρωποθυσίας* origo à Syris capit, & ad coloniam Syrorum, Phænices transijt: ita ab his ad Carthaginenses Phænicum colonarios & alios multos perrexit. nam *Αμίλκων* Cathaginenses veneratos esse meminit Athenagoras in legatione. Et forte Amilcas, ab eodem quo Moloch fonte deducendus. Utraq; pura putata hebraica seu Punica sunt, si quis initia spectet, & Regem denotant. Patriarchas, à quibus ortum trahunt gentiles, sacrificijs divinis altaria constituisse, aliunde scimus. Ac jam tum ante ipse Noah, præco Justitiæ, altare erexit, in quo sacrificia divino Numini obtulit. Quem secuti filij ac nepotes, hos ritus à Deo traditos, per omnes terras dispersi, ad posteròs transmiserunt. & mansit aliquamdiu non tantum apud Semi, sed & Japheti (fortè & Chami) posteròs incorrupta religio, donec plurimum, ideoq; falsorum Deorum cultus in eorum oculo succresceret; sed & tunc quoq; mutato Deo man-
ferè

Wolffg. Lazius de Rep. Rom. I I X. c. XIV.

Athen. lib. XIV.

“

“

Lips I Saturnal. & Stuck I Antiquit. conviv.

fere ritus & Ceremoniæ, à pio usu ad impium translata.
 magnum adversus ipsos testimonium acceptæ veritatis,
 sed per injustitiam detentæ. Nunc verò ubi satis diu vi-
 guissent hæc sacrificia apud gentes, exiguum, imò & in-
 dignum tanto Numini putarunt, brutorum sanguine
 placare offensum. Summam victimam convenire sum-
 mo Deo. At Moloch aut Saturnus, summus Deorum
 ijs erat. nec excellentius quicquam homine terra alit,
 nec parentibus charius quicquam liberis. Ita igitur ha-
 buerunt gentes, non melius posse se summum demere-
 ri Deum, nisi ubi liberos immolarent suos, vel in hære-
 dum ac patriæ spem natos. Verùm adhuc omnia rectius
 haberent, modò inter gentes Dei ignaras constitisset hoc
 abominationis genus, nec effractis clathris ad ipsum Deum
 populum, hujusq; Duces & Reges erupisset. Primi o-
 mnium accesserunt Ammonitæ, qui semen suum, aut
 liberos obtulerunt cremandos Moloch & Baal. paren-
 tes quidem, at alià omni re potius, atq; prole digni. Ple-
 na exemplorum Scriptura Sacra. Caterùm quæ forma
 Idoli fuerit, Hebræi passim atq; hunc ferè in modum de-
 scripsere; *fuit Moloch imago concava, habens septem concla-
 via. Unum aperiebant simile offerendæ, aliud turturibus, ter-
 tium ovi, quartum arieti, quintum vitulo, sextum bovi. Qui
 verò volebat offerre filium, huic aperiebatur septimum cubi-
 culum, & facies hujus Idoli erat, ut facies vituli. Manus plane
 dispositæ ad recipiendum ab adstantibus & c.* Licet verò hanc
 exactissimam Fagij de Moloch descriptionem ex libro
 Jalkuth, cujus auctor R. Simeon, desumptam, minus pro-
 bet Seldenus, imò vereatur, ut fidem suam liberent, qui
 septem Molochi conclavium auctores primi exstiterint:

*notis in chal-
 daam Leviti-
 ci paraphra-
 sin.
 de DIs Syris
 c. VI. p. 170,*

com-

commodam tamen hujus rei rationem subministrat *l. II. de Idol.*
Vossius, qui hæc conclavia ad modum Solis & Lunæ, ut *Idol. p. 331.*
& reliquorum Planetarum comparata esse judicat.
Moloch enim nihil aliud ac Baal, seu Belus, i.e. ipsum
Solem notat, cui Oriens quondam summos detulit ho-
nores. Unde & ultimum Solis cubiculum, optima
mansit victima, homo. Licet enim ex reliquis concla-
vium largitionibus multum honoris accessit Soli, pro-
prius tamen hic illi honos, quum offerretur homo.
Hoc scilicet metuit Seldenus, ne Molochi sacra cum
ceremonijs Mithræ confundantur. cui itidem septem
sacræ portæ numerum Planetarum referentes fuere, de
quibus Celsus apud Origen. lib. V. eidemque Viros, pa-
riter & foeminas, uti & pueros mactatos Photius in vitâ
Anasij cod. CCCLVII. asserit. Præterea duplicem me-
morant Idoli cultum. alterum, quo prolem suam per
ignis flammam traducebant Parentes, atque hoc pacto
Numini lustrabant, qualis idololatria interdicitur Deut.
XIX. com. 10. Alij Pyromantiam nominavere. Di-
versum ab hoc ritu immolationis genus fuit, quo filios
filiasque immaniter mactatos cremabant. Prioris ori-
go inde fortè emanavit, quod qui jurarent olim, adstru-
erentque immotam dictis fidem, ignem pertransivere.
Hoc *πῦρ διέπεν* vocat Sophocles in Antigone. Et in-
numera de illa puerorum transitione in Scripturis pro-
stant exempla. Levit. XII. 2. Reg. XVI. com. 3. & XVII.
com. 17. Ubi ergò sacræ literæ translationem vocant,
ibi Vossius non cremationem, sed tantum deductionem *lib. II. de*
inter duas pyras capit. At verò & præter hanc februa- *Idol. c. V. p.*
tionem vivicomburium charissimorum pignorum, & *329.*

Tarich. W.
Schikardi p.
126. & seq.

D. Cyrillus
adversus Ju-
lianum,
lib. X.

lib. II. de
Idol. c. V. p.
329.

B

ex



*hor. succif.
c. LXI.*

ex flore populi in omnibus familijs libenter admittit. Sacerdotes hujus Idoli, ut & aliorum Numinum כמרים dicuntur, quos D. Kimchi ideò dictos putat, quia nigris induti vestibus. LXX. χωμαρίν & ἱερεῖς reddunt. Forte illorum curas ἀνθρώπωνμαντεία exercuit, i. e. divinatio ex maētatorum hominum visceribus. de quā stupenda congesit Camerarius. Ita ex allegato capite Regum de loco immolationis instruimur. Nuncupatur ibi vallis filiorum Hinnom, quod Hebræis est גיבן הנם vel גיא הנין ubi multus inter sacrificia puerilia lamentis locus. Ne tamen tangerent parentes gravissimi illi ejulatus, tympanis omnis vicinia personabat. Inde loco alterum nomen accessit Tophet à תוף, quod tympanum notat, Ab Hinnom, vel potius גיא הנין τὴν Γέενναν. Evangelij scriptores habent. Et locum, qui inferorum poenas refert, indicant.

CAP. II.

Unde origo immolationis puerorum apud Phænices. μυνογενής. Iesd. Vossius Eusebi locum examinat. Said-Aben Batrich. Iphigeniæ immolatio. Idome- nei factum. Jephthæ votum recitatur. Usus γὰρ ἡ πᾶσι. Finis Ἀνθρώπωνμαντείας.

*lib. 1. prepar.
Evangel.*

Exposuimus hæctenus, per quas gentes potissimum cæperit ἀνθρώπωνμαντεία, nunc unde, & quo auctore constet, ostendendum. Phænicum annales si consulamus, horrendi illius sacrificij, puerorum maētationis inquam, facile observabimus originem. Tradidit ex illis Prophyrius ab Eusebio adductus: κρόνος τοῖνον, ὃν οἱ φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι βασιλέων τῆς χώρας (φοινίκων) καὶ ὑστερον

ὕπερον μὲν τὴν τῆς βίης τελευταίαν εἰς τὸν τῆς Κρόνου Ἀστὴρα καθερωθεῖς,
 ἐξ Ὀπιχωρίας Νύμφης Ἀνωβρέτ λεγομένης, ἣν ἔχων μονογενῆ: ὅν
 Διὰ τὸ Ἰεὺδ ἐκάλεον, τῆς μονογενῆς ἕως ἐπὶ καὶ νῦν καλεμένον
 παρὰ τοῖς Φοίνιξι κινδύων ἐκ πολέμου μεγίστων κατειληφίτω τὴν
 χώραν βασιλικῶν κοσμήσας, χήματι τὸν ἰνὴ βωμὸν τε καὶ σκευασά-
 μεν. κατέδυσεν. Saturnus igitur, quem Phœnices Israelem no-
 minant, quemq; post obitum in astrum ejusdem nominis conse-
 crarunt; quum ijs in locis regnaret, ac filium unigenam ex nym-
 phâ quadam indigena, nomine Anobret, haberet, quem propte-
 rea Jeoud dixere vocabulo hodieq; unigenam notante lingua
 Phœnicia, quumq; in gravissimum belli periculum regio inci-
 disse; illum ipsum regio ornatum habitu in ara ad hoc exstru-
 ctâ immolavit. Ex hac recensione tria notamus. Israël
 esse Phœnicia Regem vetustissimum, eundem ac Satur-
 num, fuisse Israeli filium μονογενῆ, unde Jeoud dictus sit
 Phœnicibus, hunc esse à Parente immolatum. Mirum,
 nisi Abrahamum & Isaacum filium respiciat commen-
 tum illud. Quum enim percrebuisse Patriarcham au-
 ctoritate divini Numinis instituisse hujus generis ritum,
 oblato filio, quem unicum habebat, eumq; charissi-
 mum, aut certè id agitalle saltem animo, facile factum
 est, uti perverso & mulandi studio propagaretur deinde
 ad alias quoq; gentes infelix ἀνθρώποφυσία, quo nullum
 crudelius, aut inhumanius magis hominum generi fa-
 cinus incubuit. μονογενῆς Isaacus, aut filius unicus ap-
 pellatur à Porphyrio Jeoud, & à Philone. Ita & in li-
 bro Creationis Isaac Ἰσακ dicitur. Ubi ipsum Jeoud
 ferè integrum legimus. Nam solâ dialecto hæ lingvæ, si
 Viris magnis credimus, invicem discrepant. Et quod
 mireris, in Orphaicis ὡς Ἰεὺδ, quæ Onomacriti censen-
 tur, Abraham μονογενῆς pater pro filio, imperitè dicam

in Prol. 5
c. VI. p. 189

an ridiculè ponitur. Id quod Illustriss. Scaliger ad
Græcorum fragmenta observat. Sic Israel dictus futili
eorum Theologia, qui Israelis avus, egregio documen-
to, sacram historiam à profanis Scriptoribus multis
modis interpolatam, & falsò sæpe narrari. De rebus
Judaicis certò id asserunt Strabo, Justinus, Diodorus
Siculus ac alij passim. Cæterùm Deum, Mosen, Patri-
archas nullo habebant discrimine, nec rarò verba & res
sacras ad impia Magorum opera applicabant. Ex hi-
storijis in tabulas sacras relatis nova Numina, & cultus a-
lios formabant. Id generis alia apud Seldenum inve-
nies. Ut ut verò omnia, quæ de præsentis Eusebii loco
retulimus, non improbet Vosius, neq; tamen temerè
super istis cum aliquo se pugnaturum præcipit. Esse rem
angustam, & quæ facile scrupulum legenti iniiciat. Quis
enim credat parentem gentis vicinæ & exosæ maximè,
Israëlem, pro summo Numine, hoc est, Molocho aut Sa-
turno cultum esse Phænicibus. Non igitur *Ἰσραήλ*, sed
potius uno verbo *Ἰλ* legendum conijcit. Causam hujus
lectionis dat hæc: Sæpe compendijs literarum usos, *Ἰλ*
pro *Ἰσραήλ* scripsisse. At hic longè alia ratio, & vana
omnis literarum extensio. Quod enim Phænicibus,
IL, Hebræis *EL*, ex decem Dei nominibus unum fuit.
Et Saturnum non Israëlem, sed illum dixisse Phænicibus
auctor Sanchoniathon apud Eusebium eodem libro me-
morat: Verba ita habent: *παραλαβὼν δὲ ὁ Οὐρανὸς τὴν τῆ
πατρὸς ἀρχὴν, ἀγεται πρὸς γάμον τὴν γῆν, καὶ ποιεῖται ἐξ αὐτῆς
παιδας δ. Ἴλον, τὴν καὶ Κρόνον, καὶ Βέτυλον, καὶ Δαγών, ἵς ὄσι Σίτων,
καὶ Ἀτλαντᾶ. Cœlus autem, ubi paternam accepit impe-
rium, Tellurem duxit uxorem, ac filios ex eà genuit qua-
tuor; illum, qui Saturnus dictus est, & Betylon, & Dago-
nem*



nem, qui alias Sito, & Atlantem. Apertior iste locus Sanchoniathonis ibidem. *Οἱ δὲ σύμμιαχοι Ἰλα, ἢ Κρόνος, Ελωειμ ἐπεκλήθησαν, ὡς ἂν Κρόνιοι ἔσται ἦσαν οἱ λεγόμενοι ὅτι Κρόνος* Socij autem Ili, qui idem Saturnus erat, Eloim, quasi Saturnios appellarunt à Saturno. Et agrè quidem hanc conjecturam exuet Voslius, si quod ipse asserit, Grotium in familiari sermone ducem & hujus loci interpretem genuinum accepit. Ac tandem nusquam ad Abrahamum, sed ad Sheruchi avum, si Said Aben Batrich apud Seldenum credimus, feralis illius ritus initia revocanda sunt. Scripsit librum Said Aben Batrich, ubi historica plurima de festis, aris, Patriarchis, alijsq; rebus congestit. Nomen ab auctore, libro inditū, *ἡτοιμασθαι ὄψον ἐν βόλ-
vens gemmam, seu theca gemmaria.* In immensum, ait ille, Sheruchi avo errarunt homines, & invaluit idololatria, & immolabāt filios & filias suas Dæmonijs. Vide omninò Seldenum & Schedium. Abrahami Isaacum & Jephthæ filiam offerentis exemplum fabula de Iphigenia longè aliter tamen, refert. Epiphani, hæresi LV. quæ est Melchidecianorum. *Ἐν δὲ τῇ Σεβαστῇ τῇ ποτὶ Σαμαρεία καλε-
μένη, τὴν θυγατέρα Ἰεφθαε θεοπιήσαντες ἐπὶ ταύτην τελετὴν κατ' ἔτος ἄγουσιν.* Sebaste verò, quæ olim Samaria dicebatur, Jephthæ filiam divinis honoribus consecrarunt; in cuius memoriam solemne quotannis festum celebrant. Festi hujus originem ex Jud. XI. cognoscimus. Ex Ἰέφθαι, quomodo filia sit à Patre dicta, corruptum est Ἰφίς, & ex hoc ἄνασσα, conflatum Iphianassa; & quum genita ex Iphe aut Jephthe, dicta est Iphigenia. Dedit hæc historia Homero occasionem simile quid de Agamemnone & Iphigenia excogitandi. bus.

B 3

in prol. c. III.

p. 47.

De Dis Ger-

manis

c. XXXI.

p. 577.

bus Atticis scribat Iphigeniam non immolatam esse, sed Dianæ misericordia in ursam versam, neminem tamen assentientem habet. Ac Nicander quidem in Juvencam, alij in cervam, alij in anum edentulam transferunt. Videmus tamen ex hoc commento, nomen & sexum Iphigeniæ sapere historiam de filia Jephthæ, quæ vera est Iphigenia à Patre oblata. Catastrophe verò illa de substitutâ pecude cervâ, catastrophæ sacrificij Abrahamitici præsentat, dum loco Isaac arietem immolarit parens. Numerò mihi geminum quippiam Idomenei incidit. Neptunus Idomineo in patriam è Trojano bello reduci eam immisit tempestatem, ut voverit, omne illud, quicquid primum è navi ipsi obviaret, Neptuno sacrum maneret. Mox, ubi primus filiorum ei occurrit, eundem Neptuno sacrificat. Quod facinus Cretenses, quorum Rex fuit, adeò advertit, ut & exilio eundem multarint. Quia verò paucis voti Jephthæi meminimus, libet penitus indagare, num immolarit filiam holocaustum Jephthæ, num alio pacto eam consecrarit Deo? Forte Conjunctio ¹ hic non copulativa sed disjunctiva est, ut sensus sit: Aut immolabitur Domino holocaustum, si ejusmodi generis sit, ut immolari possit, aut si non offerri dabitur, erit alioquin Deo consecratum. Verùm id contra mentem ipsius textus est, nam & vis ¹ propria copulativa, non disjunctiva est, & exempla, quæ citantur, ab hoc loco prorsus sunt aliena, Ibi enim disjunctio est in exemplis disjunctis, non subordinatis. Hic verò, qui aliquid Deo holocaustum offert, is eo ipso illud consecrat. Non hæc diversa, sunt, quæ toto conveniunt genere. Ita porrò eom. 39.
Verba

Verba contextus id efflagitant, & exsecutus est in eà votum, quod ipse voverat. Schedius hæc verba ita explicat. non quòd sacrificaverit filiam, verùm quod dicaverit, & primam sui voti partem impleverit. Idem per idem. Non noverat (ita Gerhard. legit) Jephthæ filia Virum, quum immolanda esset, Tum ^{et} non cognoscere Virum, ponit actum, non votum Virginitatis, aut consuetudinem abstinendi à matrimonio. Virginitatem hanc suam deflevit, non tamen exclusivè. Et tandem, quod dicitur ascendisse filias Israël לתורה ל cum filia Jephthæ, sive confabulari sive lugeri interpreteris תנה cause nostræ nihil officit. ascenderunt ad confabulandum, non cum, sed de filiâ Jephthæ, ita Brochmannus, ad lugendum i. e. in gratiam ac honorem filia Jephthæ. uti Danhavverus explicat. Utrumque consulet, qui plura de hæc disputatione desiderat. Denique non ad nudum Abrahami exemplum, aut aliquorum impiorum Regum factam fuisse hanc concremationem Franzius colligit. Aliud adhuc fuisse demonstrat, Messia nempe sacrificium, quod his ritibus adumbratum sit. Verùm hanc lampada Dominis Theologis haud inviti tradimus.

T A N T U M.

Ad



Ad
Præstantissimum Dn. Respondentem,
M. JOHANNEM FRIDERICUM
SCHULZIUM,
Disputationis auctorem.

TE *Latia, SCHVLZI, dudum optavere*
Camæna
Hospitium pariter delictumq; suum:
Argutumq; tibi donarunt texere carmen,
Quod vel Naso probet, vel legat ipse
Maro.
Nec minus & Musa dispertiverè Pelasga,
Attica quicquid opum, quicquid Jonia
habet;
Ingredere hanc felix aciem, duraq; patrare
Miles adhuc, qui Dux; bella, brevi ipse
geres.
Ausonia ornarunt dudum tua tempora laurus;
Carpitur ex Grajis ista corona jugis.

AUGUSTUS BUCHNERUS.

[Hb 3e. 181]





947 1037


ULB Halle
000 313 408


3



1007







45M 336218
45 1296

8

DE
ANΘΡΩΠΟΘΥCΙΑ
GRÆCORUM ATQUE GENTILIUM
IN UNIVERSUM
PRÆSIDE

JOH. ERICO OSTERMANNO

GRÆCAR. LITERARUM P.P.

publicè disputabit

a. d. 10. Decembr.

cl. Ibc LVI.

M. JOH. FRIDERICUS SCULTETUS.

WITTEBERGÆ

Exscripsit JOHANNES RÖHNERUS Academ. Typographus 1656.

22

*Buchnummer Ostermann
400*

